

Viri clarissimi Sam. Werenfelsii, [...] epistola familiaris, qua consilii sui rationes de abdicando munere professorio vindicat

Autor(en): **Osterwald, J.F.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **25.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394615>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Viri Clarissimi

(*) SAM. WERENFELSII,

S. Th. D. & Prof. in Acad. Basl.

EPISTOLA FAMILIARIS,

qua Consilii sui rationes de abdicando Munere
Professorio vindicat.

*Vir Rever. & Clarissime, Frater in Christo ante omnes
alios Amande!*

QUAS ad me dedisti literas semel iterumque
legi, & in timore Domini expendi. Ex
eo, quod in negotio, quod merito me
ante omnia sollicitum habet, tuam opem
imploravi, occasionem credidisti arripiendam,
amice me monendi quid sit, quod hoc tempore
homines potissimum in me desiderent; qua in re

R r 4

pergis

(*) Scripta est hæc Epistola circa annum MDCCXV præcipitem ad Cl. Virum J. FR. OSTERWALD, Theologum Neocomensem: estque illa oppido lectu dignissima, utpote qua Cl. huic Viro, quo familiariter utebatur, intimos animi recessus recludit; de dignitate muneris Professoris Theologiæ publici graviter disputat, atque quæ cura ipsum maxime habeat sollicitum modeste explicat. Utinam hoc exemplum tot haberet imitatores, quot habebit admiratores! Ita demum pateret, quam multa passim & doceantur & discantur, quæ hominem, etiam Theologum, ab uno illo necessario & Summa veræ Orthodoxiæ avocent atque animum distrahant, ut non possit vacare iis, quibus unice esset vacandum. Debemus hoc munusculum, auro contra nobis carum, studio Viri Clariss. J. JAC. CRAMERI, Prof. Theol. Catech. dignissimi.

pergis demonstrare perpetuum illum tuum erga me amorem, fraternamque pro existimatione mea sollicitudinem, quo nomine me tibi plurimum devinctum esse dicerem, si quam fui usque huc, devinctior esse possem.

Sed Vir omnium quotquot vivunt amicissime, non semper quod a nobis homines ante alia requirunt, est illud ipsum, quod Deus in nobis quam maxime desiderat. Hominibus forsitan hoc solo abunde satisfacerem, si modo frequens essem in habendis Lectionibus, qualiscunque essem in ceteris, qualescunque essent ipsæ hæ lectiones meæ, & ex quocunque agendi principio proficiscerentur? sed aliter ut arbitror, judicat Deus. Is mihi nunc negotium multo gravius multoque urgentius imposuit. Quæ sint virtutes hominis christiani satis distincte novi, & sæpe alios docui. Novi quoque quid sit se ipsum explorare, neque ullus me unquam affectus usque adeo excæcat, ut qualis sim videre nequeam. Cum itaque me ipsum penitus excutiens clare perspicio, multas ex iis virtutibus mihi deesse, sine quibus salvari non possumus, obsecro te, mi frater, quid prius in hac ætate mea mihi incumbit, quam ut de hisce ante mortem forte propinquam acquirendis unice cogitem.

Dices Salutis propriæ curam sic esse suscipiendam, ut muneris & vocationis quisque nostræ rationem habeamus. Ita est. Utrumque horum sine dubio conjungendum est ab homine, qui utrique sufficit. Sed nescis, mi OSTERWALDI, nescis, quantum ab una parte mihi desit ad hoc, ut Doctoris munere isto tempore & in hoc loco
ubi

ubi sum, cum aliquo fructu defungar; quot dotibus ad hoc necessariis caream, quam parum pleraque, quæ olim didici sint ad hoc utilia, quamque ipse opus habeam ut discere incipiam, quæ cum fructu doceri possint. Nescis, quantum ab altera parte mihi desit eorum, quæ Evangelium tam perspicue a quolibet salvando requirit, quamque id brevi hoc, quod mihi residuum fore polliceri possum, vitæ tempore acquirere, totum hominem, talem imprimis hominem, qualis ego sum, deponat.

Nescis præterea, quam me vel levissimum, saltem quod tui similibus levissimum videretur, protinus disturbet & ad magnum illud opus, a quo æternitas dependet, tantum non ineptum reddat. Nescis quam parum capacis sim ingenii, quamque parum aptus sim ad plura alicujus momenti simul peragenda, quam parum versatile sit hoc ingenium meum, quantaque cum difficultate ab alio ad aliud transiliat, ita sum natura factus, ut de re alicujus momenti cogitare nequeam, quin de ea omni mentis contentione cogitem; quo fit, ut rei cuilibet, quæ mihi cordi est, ita sim intentus, itaque penitus in ea defixus, ut non modo eodem tempore de alia re cogitare nequeam, sed etiam ut difficillimum mihi sit, animum a re cui intentus sum avertere, atque ad aliud applicare.

Talis cum sim, mihi ni prorsus nihil agere velim, nunquam de pluribus simul agendis cogitandum est. Id solum mihi incumbit, ut inter ea quæ agenda sunt agam semper quod est maxime neces-

sarium, & quod omnium maxime urget. Quod vero urgentius negotium cogitari potest, negotio æternæ Salutis?

Atque enim, inquis, non licet Doctori & Ministro J. C. sibi vivere, tum demum Deo & sibi vixit, si Ecclesiæ Dei quam maxime profuit. Imo vero, mi frater, cuilibet Christiano non modo licet, sed incumbit, regnum Dei ejusque justitiam ante omnia quærere, suam propriam salutem in timore & tremore operari, laborare denique in comparanda ea sanctitate, sine qua nemo visurus est Deum. Cetera omnia cujuscunque demum generis sint, eatenus tantum a nobis agenda sunt, quatenus ea nos in hoc necessario agendo nec turbant nec impediunt. Cum ea omittimus, quæ cura salutis, rebus omnibus anteponenda, nobis in præsens agere non permittit, nihil negligimus a Deo nobis impositum. Hic non vult, ut simul agamus, quæ simul agere non possumus, sed ut inter hæc agamus semper, quod ipsi est gratissimum, & nobisque maxime necessarium.

Pone me hoc tempore infirma uti valetudine; quis mihi vitio verteret, si omissis aliquamdiu muneris mei functionibus, tempus quantumcunque ad hoc necessarium judicaretur, unice impenderem curandæ & corroborandæ valetudini. Quod si functiones minimi momenti ad muneris nostri administrationem pertinentes cedunt curæ valetudinis, cur non multo potiore jure curæ æternæ salutis, quæ nobis immensum quantum charior esse debet valetudine ipsaque adeo vita? Cur quod tempus curæ corporis unice impendendum

dum facile mihi a quibusvis concederetur, dene-
garetur profus, si illud unice impendere vellem
ad curam animæ, eamque huic meliori parti sa-
nitatem acquirendam, sine qua salvari, æternum-
que exitium evitari non potest?

Præterea non arbritor, amicissime hominum,
me in errore versari, cum credo, ipsas illas vir-
tutes, sine quibus nemo Christianus est, nemo
salvatur, nobis quoque non minus necessarias es-
se, ut cum fructu doceamus. Existimo has ipsas
virtutes in Doctore, qui Ecclesiæ utilis esse cupit,
magis quam in ceteris christianis eximias esse de-
bere. Discipulos Christi recte docere non est,
iis Doctrinam ejus nude proponere & explicare,
sed præcipuum est eosdem de ejus veritate persua-
dere, id quod nunquam consequemur, nisi vita,
nisi omnia dicta nostra & facta, nisi ipsa vox vul-
tusque perpetuo monstrat, nos ipsos de omnibus,
quæ docemus, plane esse persuasos. Eximia certe
vitæ sanctitas in Doctore conspici debet, ut disci-
pulis quicquid dicit, videatur ex animo dicere.

Jam si gloria Dei & ædificatio Ecclesiæ serio no-
bis cordi est, recepta docendi ratio tantum non
tota mutanda est. Ad hoc vero quis idoneus
est, nisi homo omnibus virtutibus christianis præ-
cunctis aliis instructus, cui ab una parte animus
sit imperterritus, Deum solum non homines ti-
mens, quique ab altera parte præditus sit insigni
prudencia, charitate, humilitate, quibus omnia
temperare sciat, modumque docendi hoc tempo-
re insuetum acceptum reddere.

Præ-

Præcipuum vero requisitum Doctoris Theologi credo esse, verum amorem Dei, zelumque pro ejus gloria. Hic nisi nos stimulet perpetuo ad agenda & docenda, puri puti Agyrthæ sumus & Histriones, & nunquam tam apte personam agimus, quin tales aliis quoque videamur.

Aut vehementer fallor, aut una ex præcipuis causis, quod pleraque quæ ex suggestibus & cathedris audiuntur, tam parum efficaciam & ædificationis habeant, hæc est, quod plerumque auditores vident & sentiunt, non seriam rem hic agi, zelumque Dei in his omnibus nullas partes habere.

Quod si Ministri Ecclesiæ & Doctores omnes suas Lectiones & Disputationes, pene dixerim etiam Conciones, in integrum annum suspende-
rent, totum hunc annum vertentem suæ quisque conversioni & sanctificationi unice & serio impenderent, forte Ecclesia J. C. ex hoc longe plus utilitatis caperet, quam capiet ex omnibus Lectionibus, Orationibus, fortasse etiam plerisque concionibus, quæ integro hoc anno *μετὰ πολλῆς φαντασίας* habebuntur.

Sed de aliis nunc quidem sollicitus non sum. Id solum ex dictis me concludere posse puto, me ipsum, si modo is sum, a quo Ecclesia Christi aliquid ædificationis expectare possit, huic nulla nunc re magis prodesse posse, quam si unice laboro, ut per immensam Dei gratiam eas virtutes quantocyus acquiram, quæ tum ad salutem meam propriam, tum ad munus quod gero aliquo
cum

cum fructu obeundum absolute & omni modo sunt necessariae.

Atque hic ita denique mecum ratiocinor: Aut Deus brevi me ex hac vita evocare decrevit, aut statuit vitam mihi in multos abhinc annos producere. Si Deus prius decrevit, non video, quod brevi hoc tempore de alia re cogitare possim, quam de iis ante mortem propinquam acquirendis, quæ mihi ad Salutem obtinendam, deesse clare intelligo, nec video, qua ratione Ecclesiam C. magis ædificare possim, quam ita sub finem vitæ monstrando me ea quæ in vita docui vere credere.

Quod si Deus constituit vitam mihi in multos abhinc annos prorogare Ecclesiæ C., si modo quas dotes haberem ad ejus ædificationem utiles, nihil nocebit me partem aliquam hujus temporis meæ propriæ saluti unice impendisse. Imo vero aut hac ratione demum ante mortem idoneus fiam ad Ecclesiæ ædificationem promovendam, aut nunquam talis sum futurus. Quod si Deus infinitam suam misericordiam in me peccatorum maximo vellet ostendere, hocque meum pectus tandem vero ejus amore, ardentique zelo pro ejus gloria inflammare, zelus iste in iis, quæ re vera gloriam Dei spectant, me desidem & inertem esse non pateretur.

Facile existimare possum, multorum judicio maximam vitiorum meorum esse pigritiam, quam si modo excutere possem, nihil in ceteris mihi magnopere deesset. Sed in hoc errant. Laborio-
sissimus

sissimus non sum, & si cui videor corpusculo
 laborum non patienti plus indulgere, quam ad
 sanitatem ejus conservandam est necessarium,
 facile a me impetrabit, ut hoc inter alia plurima
 peccata mea agnoscam. Verum tamen si medi-
 tari labor est, non sum sane hominum pigerri-
 mus, si dixerò, paucos esse, qui meditando sæ-
 pius atque ego vires exhauserint, & valetudini
 vehementius nocuerint, mendacium non dixerò.
 Quæ scio sunt paucissima, sed paucissima illa
 scire magni mihi constat; præsertim cum plera-
 que quæ adolescens didici mihi non sine acri men-
 tis intentione fuerint dediscenda, id quod tanto
 fuit difficilius, quod neminem hic præeuntem ha-
 bui. Quæ publice egi & dixi maximi mihi sem-
 per constiterunt. Nihil unquam scribere ausus
 sum, ad quod tolerabile reddendum, non omnes
 ingenii vires fuerint intendendæ, quod non ali-
 quamdiu dies noctesque me occuparit, & si me-
 lius non scripsi, (ne minimis quidem vernaculis
 exceptis) causa nunquam fuit, quod nolui, sed
 quod non potui melius scribere. Facultate dicen-
 di extemporali non polleo, & neque res ad hoc
 necessarias in promptu habeo, neque verba aut
 facile invenio, aut in debitum ordinem redigo;
 Quæ libri felixque memoria aliis pene aliud agen-
 tibus suppeditant, ego vi quadam ex qualicun-
 que ingenio cogor exsculpere & sæpe non sine
 nisu & conatu extundere.

Utinam tantum, Amicissime Osterwaldi, quic-
 quid laboris in vita pro Deo suscepissem! Utinam
 non purum putum hominibus placendi studium
 ad id omne me extimulasset! Tum vero nihil
 agimus.

agimus, cum ex hoc solo principio agimus. Hoc vero tam diu facimus, quamdiu non habemus cor Deo penitus deditum ac devotum, veroque ejus amore & zelo pro ejus gloria flagrans.

Tale cor utinam mihi tandem aliquando det misericors Deus. Ita est: nonnisi ab immensa hac misericordia sperare id possum. Nemo enim hominum vivit, qui magis indignus sit hoc Dei dono omnium præstantissimo, atque ego sum. Sed in hoc si Deus aliquando infinitam suam misericordiam exercere vellet, tum demum alicujus frugis essem, tum demum & me ipsum salvare possem, & eos qui me audient.

Habes (charissime frater) animi mei cogitationes, quas nulli mortalium, ita ut nunc tibi aperui, aut unquam aperiam. Excipio Tribolettum nostrum, quocum ut omnia hæc communices, non repugno. Videtis hic cor meum penitus nudatum, si modo me ipsum non fallo. Ad singularia descendere non vererer, si coram vobiscum loquerer. Quod si erro, errantem in viam reducite, sin recta semita incedo, recte euntem confirmate, excitate, corroborate, consilio vestro, ardentibus ad Deum precibus, quas Deo gratiores credo futuras, ac meas proprias, juvate. Valet in Domino, vestrosque non multo minus mihi ac Vobis charos plurimum salutate.